

medicaminis originem ventū est, cœpit sperma ceti appellari, oblitterato paulatim Halos anthos vocabulo. Hinc orta ignorantia est, quod nescimus, quidnam sit veterum Halos anthos, & sub quo nomine apud veteres nostrum sperma ceti lateat. Porro hæc de propria huius medicamenti interpretatione, per quam ipsius rei cognitionem cōsequimur, dicta sint. Nunc autem, vt quid, qualēue medicamentum Halos anthos sit, indicemus, necessitas requirit. Principio itaq; dicimus, atq; omnibus tam medicis quàm pharmacopolis notū est, nullum prorsus haberi per totam Europam, Halos anthos nomine medicamentum, ipsumq; vocabulum nusquam auditur. Nec vllus est ad hunc vsq; diem ex recentioribus medicis quotquot Dioscoridem, Galenū, Aëginetam, Aëtium & Plinium sequuti sunt, qui nouisset, qualenam esset Halos anthos medicamentum: quā igno-

Halosanthos veterū quid esset hætenus incognitum.